



VI. 139.
24

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

**FEBRIUM
THERAPIA** 1704, 192

IN GENERE,

QVAM

IN ALMA REGIA ET ELECTORALI FRIDERICIANA,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,
REGNI BORUSSICI ET ELECTORATUS
BRANDENBURGICI HEREDE &c. &c.
EX DECRETO GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ,
SUB PRÆSIDIO

DN. GEORGII ERNESTI STAHL,
MED. D. ET PROFESS. PUBL. ORDINAR.
h. r. FACULT. DECANI,

*Dn. Patroni, Præceptoris ac Promotoris
sui, omni observantia cultu prosequendi,*

PRO LICENTIA,

Summos in ARTE MEDICA Honores, & Privilegia
DOCTORALIA adipiscendi,

Ad diem Martii Anno MDCCIV. Horis ante & pomeridianis
IN AUDITORIO MAJORI
publice ventilandam proponit,

GEORGIUS HENRICUS HENKEL,
MARTISBURGENSIS.

HALÆ MAGD. Litteris CHRISTIANI HENCKELII, Acad. typ.

138

INSTITUTO INANUARIAS MEXICO

FEBRILUM

THERAPIA

IN GENERE

AVTHORITATE ET OBSERVATIONIBUS
MAGISTRI WILHELMI WILHELMII

AVTHORIS WILHELMII WILHELMII

AVTHORIS WILHELMII WILHELMII

AVTHORIS WILHELMII WILHELMII

AVTHORIS WILHELMII WILHELMII

PRO LICENTIA

AVTHORIS WILHELMII WILHELMII

AVTHORIS WILHELMII WILHELMII

AVTHORIS WILHELMII WILHELMII





PROOEMIUM.



Vam vario fato Ars no-
stra Medica circa connexionem
Rationis cum Experientia, ab
omni ævo in hunc usque diem la-
boraverit, ut è numerosis exem-
plis commonstrare in proclivi est,
ita certè nullum ex omnibus lu-
culentius esse poterit atque dignius, quam Februm tam
theoria seu solida pathologia, quam praxis seu solida
methodus tractandi atque curandi. Profecto enim, si
usquam perplexos habuit homines huic arti animum
adjicientes, difficultas illa distinguendi inter essentialem
utilitatem, aut accidentalem frustrationem atque peri-
culosum exitum, moliminum quorundam vitalium;
evenisse hoc prorsus eminenter in februm negotio, ne-
mo est, qui non possit luculentissime agnoscere, nisi qui-
dem omnium harum rerum absolute imperitus existat.
Mussitarunt quidem ab antiquissimis inde temporibus
Medici, quod in febris pugna quædam sit Naturæ cum
morbo; agnoverunt, quod dies ad excretiones critici,
sint


100

☉ (4) ☉

sint pugnae illius veluti exitus, & decernentium inter se mutuo partium, altrinsecus, imo vero potius ex parte Naturae eveniens victoria: sed dolendum est merito, quod tam pulchram observationem non melius excollerint. Annon enim conveniebat animum solertius advertere, num quid familiarius salutaris illa crisis, nempe Naturae omnino superioris victoria, evenire observetur, an vero contra, morbi superantis energia? Num quid aequis undique circumstantiis Naturam aut vincere, aut a morbo vinci contingere soleat; an vero potius sub valde disparibus circumstantiis alterutrum horum contingat? Num illae circumstantiae, sub quibus morbus Naturam vincit, magis essentialia sint morbo, aut ipsi Naturae, an vero utrique magis accidentales? imo vero, cum perite animadverterent, quod non solum salubriores, sed imprimis praesentiores, certiores atque firmiores Naturae victoriae seu Crises, fiant per manifestas excretiones; & praecedentes (ut illi appellabant, coctiones) secretiones: e contra morbi victoria his expulsionibus vel plane non, vel intempestive, inordinate, alieno loco, insufficienter, procedentibus nitatur: opera profecto pretium erat animum advertere, quam maxime ratione defectus ille excretionis, qua Natura vinceret, cujus vero defectu morbus vincat, fiat aut eveniat. Praejudicia certe inconcussa illa duo illustra ante oculos erant, suntque & erunt, I. quod defectus victoriae non ex essentiali Naturae humanae culpa aut labe, originem ducat; alias enim tali morbo nemo non succumberet: II. nec ab essentiali morbi pravitate fluat: siquidem alias omnes homines pariter superaturus ille esset. Sane vero si haec duplex circumstantia,

secun-





secundum ante dictas illas considerationes, jam ita olim solerter pensitata fuisset, non potuisset fieri, quin & veritas, & evidentia in his rebus impetrata fuisset immensum quantum major, quam obtenta utique est. Interim cum utique hæ res, non solum dignissimæ sint omni sollicita contemplatione, sed etiam necessitas ipsa imperet, quicquid hic quoquo modo assequi licuerit, illud omni studio atque opera prosequi ac moliri; commendamus quidem in reliqua universa medica doctrina investiganda veræ theoriæ atque praxeos curam Deo, diei & indefesso idoneorum ingeniorum labori: interim ego pro mea virili parte aliquam portionem ita mihi inde sumam, ut vires meas in ea tractanda experiar, posteaquam studii mei atque scientiæ peritiæque in arte, specimen aliquod edendi mihi incumbit necessitas. Experimentum itaque faciam, quid valeant humeri mei, in subeundo onere deductionis atque demonstrationis circa ipsam hanc rem, Febrium, inquam veram atque solidam generaliore tamen Therapiam, seu medendi methodum, veræ illarum Theoriæ, i. e. veræ indolis illarum cognitioni superstruendam & exæquandam. Nam certè metuo, ne hæc res, si etiam minus feliciter cedat, male me habere debeat; cum utique tam numerosis aliorum exemplis, qui parum feliciter versati hic sunt, consolari me possem socios habuisse malorum: interim quid boni de felice successu sperare liceat, tentare non reformido, neque certe de secundo successu male spero, modo Divina Gratia atque Benedictio mihi clementer adesse non dedignetur, quam proinde humillimis precibus, ut mihi benignissime faveat, invoco & imploro.



SECTIO I.
Therapiæ Februm consideratio
generalis.

Peculiari ratione instituendam esse putamus considerationem justæ atque debitæ Therapiæ Februm, nempe quatenus vel *sponte* Naturæ, ut loquuntur, instituitur; vel *arte*, Naturæ tamen omni modo imitatricæ atque ministræ, perpetratur: abstinendo tamen omni modo, à nudis opinionibus atque traditionibus, ab experientie testimonio solido alienis.

Ut itaque initium faciamus à dictis illis *spontaneæ* Therapiæ phænomenis, ante omnia considerari debet illa Februm distinctio atque differentia, qua illæ *salubriter*, non solum cum *conservatione*, sed potius, si omnia recte observentur, *salvatione* vitæ exeunt; vel e contra, ita male cedunt, ut patiens vel in præsentaneum vitæ *periculum*, hinc conjiciatur, imo vitam *amittat*; vel ad minimum in alios graviores affectus prolatur, qui non solum diuturna varia pericula, ægro ita affecto parturiant sed etiam subinde *solidam curationem* difficulter amplius admittant.

Hujus duplicis differentie notanda quam maxime est illa insuper diversitas, ut maximo jure, imo potius necessitate quadam, inter sese conferantur duplices hi Februm exitus, eo maxime respectu, *uter horum eventuum altero frequentior* observetur? utrum, inquam, familiarius atque sæpius febribus correpti, iisdem *succubant* & moriantur an vero contra observare liceat, quod major numerus illorum, qui febribus corripiuntur, illas *superet*, & salva vita periculum hoc evadat.

Ubi

☉ (7) ☉

Ubi simul respiciendus utique est *solemnior ille modus*, quo vel febris *superatio*, adeoque patientis evasio evenire consueverit; vel e contra, morbus vincere & vitam pessundare deprehendatur.

His theorematibus si recte animum advertimus, non possumus non e quotidiana Experientia agnoscere, quod de *febris in genere* loquendo, certe longe major numerus observetur eorum, qui e febris non solum *salva vita*, sed recuperata prorsus *bona atque integra sanitate*, evadunt; quam illorum, qui his morbis succumbunt.

imo, licet in *Peste*, (de aliis enim febris *contagiosis*, minime idem dici potest,) *major pars* eorum, qui corripuntur interire observetur; revera tamen nec adeo *immanis* differentia eorum subest, qui morbo hoc correpti, illum nihilominus evadunt, & ad sanitatem revertuntur.

Si vero *alterum* illud theorema, de modo *salutaris* exitus, solum, imo quasi leviter, in considerationem vocamus, sistit sese generatim in omnibus febris, tanquam *signum*, secundum veteres, sperandi *boni* exitus, manifesta aliqua *Excretio ex humoribus*, aut *partibus Vitalibus*: & quidem cum satis notabili, tum humorum tum partium illarum, *commotione*.

Econtra *male & funeste* exeuntis febris comes, & certo intuitu secundum veteres, *signum*, est, si in febris *nullae excretionis* sese sistant: imo vero nequidem ulla *commotiones* adversus morbum, utique tamen conceptum, insurgant: unde illud dieterium: *Urina sana, pulsus sanus, aeger moritur*.

Quemadmodum autem veluti *generatissime, salutaris* quidem febris exitus, *excretionibus* inniuitur: ita nihilominus jam *subalterna* illa excretionum harum restrictione opus esse, omni modo docet experientia, ut conveniente *proportione, temporis, loci* imo *modi atque motus*, instituantur & absolvantur.

Merito itaque dicimus, quod e consideratione harum, rerum, nempe *Evacuationis*, Febres omni modo efficacissime
sub-



sublevantis, imo ad salutarem exitum deducentis; & temporis atque successus harum excretionum iustæ proportionis, agnitiono veræ *generalis Therapie* Februm, omni modo pendeat.

Unde quidem harum Febris circumstantiarum iustæ & exactæ observationi, animum adijcere, omni modo convenit; ut inde non solum factum ipsum, sed etiam ejus rationes, colligi valeant: adeoque tanto melius ipsum consilium, has res etiam *arte* debite prosequendi, convenienter instrui possit, & in effectum deduci.

Asseveramus itaque pro conclusione hujus Sectionis, quod *Februm salutaris exitus, absolvatur excretionibus* materiam qualemcunque ad *corrumpendos* humores vitales, aut pessundandam energiam & operationem *organorum*, quæ vitæ mediatè inserviunt, efficacem, proportionatis temporibus & locis expellentibus.

Ex adverso vero *funestus* Februm exitus non aliunde pendeat, quam ab hujusmodi *excretionum* infido successu, imo potius defectu.

Huic utrique rei testimonia petimus tum à vulgari experientia, qua etiam *funestissimas* Febres *Pestem* ipsam, & alias *contagiosas*, quantumcunq; gravissimas, *sempestivis, expeditis, & sufficientibus excretionibus, salutariter* finire notum est: vel ipsâ medica observatione, quæ non solum in variis Febris, certas quasdam & solennes excretionem agnoscit atque laudat: sed etiam in omnibus Febris excretionem per *urinam*, materię in hac alias non observandæ, ut peculiare signum salutis impetrandæ, suspicit, imò verò in rebus dubiis, periculorum, inquam, Februm, certamine ut loquuntur, cum Natura, *salutem* non aliunde expectat, quam à *forti*, quadam & *copiosiore*, ultimo quasi conatu & impetu, facta *excretionem*, imo excussione, *Critica* nimirum *innoxiosa*; de qua experti monent, quod *nihil paucum sit criticum*, i.e. ad *salutarem* exitum decernendum efficax & sufficiens.

Quemadmodum autem hæc ita sese habere quotidiana monstrat *experientia*, ita certè sana *ratio* nihil undiq; abludit.

Certè

Certè enim, nisi quidem nullo planè fundamento aut *subjecto* niti febres, velimus fingere; & nihil in corpore corrumpere: necesse omnino erit vel *materiam* illam, quæ fomes est morbi, excutere; vel *materiam* ipsam quamcunque in corpore, quæ ab hac morbida causa corrumpitur, mature elidere; siquidem contrario modo morbum *foveri*, imo *increbescere*, evidens est.

Scio quidem quid dici possit, nempe, non opus esse siue *causæ* morbidae, siue *corruptelæ* ab illa subnatae, immediata *excretionè*; modo illa potius *subigantur* corrigantur, & in crasin Oeconomiae corporis tolerabilem, redigantur. Sed præterquam, quod hoc universæ *Naturæ* *methodo* contrariatur; utpote quæ totam Vitam non *correctionibus* pejorum materia-
rum, sed *excretionibus*, mechanice absolvit: testatur satis constans experientia, quod ne quidem in *Artis* potestate hucusque fuerit *materiæ* *correctionibus* insigne operæ pretium facere; nisi rarioribus exemplis (v. g. per *specificæ* contra *mosus venenatos*) aut immediato magis *crudioris materiæ* contactu, in *ventriculo* adhuc, *intestinis*, aut *externo* habitu corporis immediate applicitis remediis.

At vero simplicissimæ etiam *rationi* magis convenire, ut *materia* aliqua, vel *corrupens*, vel *corrupta*, potius absolute ex universo corpore *exulet*, quam longinquis demum *correctionibus* tentaminibus subiciatur, evidentissimum est. Tanto magis, cum *correctio* illa in corpore humano eo difficilior, imo factu impossibilis sit, quoniam ipsis *motibus vitalibus*, omnia potius ad majorem *tenuitatem*, quam qualemcunque *incrassationem* deducuntur; interim *periculosorum* quarumlibet *februm*, partim *materia* seu fomes, partim *effectus* in corpore, nimia *activitate* potius peccet atque *tenuitate*, quam ulla *crassitie*. Sicubi vero etiam in una vel altera specie, etiam *crassities* peccet, quale quid in *Tertianis* fere simplicibus, contingere, lubentissime consentimus: ibi hæret etiam *materia* talis in ejusmodi loco, ubi *attenuationi* ipsius, ab ipsa *Natura*, nullo

nullo remedio subveniri possit: aut certè ita in *ambiguo* positus sit eventus ille, *alterationis* optatæ in melius, & *corruptionis* materiæ magis absolutæ, ut non solum æque facile, sed *facile* *verisimilius* atque facilius, posterius hoc, nempe *corruptio*, contingere possit, quam prius, nempe *correctio*. Omni vero huic ambiguitati quovis modo præpolleat, libera potius directa *eliminatio* ex universo corpore.

Ita certe non solum à *posteriori*, ut fieri *soles*, sed etiam à *priori*, uti fieri cum *sanaratione* convenit, hæc omnia in *Febribus* in genere evenire, puto satis dispalescere. Unde a *generalissimis* his, ad arctiorem paulo circulum me confero, nempe ad commonstrandum, quomodo hæc *generalis Therapia* *Febrium*, non solum in variis febris speciebus revera ita sese exhibeat: sed etiam, sub quibus generalibus circumstantiis, *temporis*, *modi*, atque *loci*, hæc ita solenniter fiant.

SECTIO II.

Therapiæ Febrium spontaneæ observatio.

SI quicquam est, quod hucusque ad fallendam tam *Physicam* quam *Medicam Theoriam* plurimum momenti attulit, est profecto neglectus, aut ad minimum insufficientis consideratio, veræ *historiæ* subjectorum ad disciplinas has pertinentium. Cum enim *Theoria* occupari debeat circa *rationes* reddendas rerum, *certarum* profecto; si res istas nesciverit, *rationem* illarum reddere frustra cogitaverit: siquidem *ignoti nulla cupido*, sive ut apposite loquantur, *Metaphysici*, non *entis nullæ sunt affectiones*.

Non occupabimur prolixius in deducenda illa præteritione *historiæ*, certe quam *vulgatissima*, quomodo imprimis *Febres*, *sponsæ*, & sine *consilio vel auxilio* Medici, innumeris exemplis indies curentur, & patientes in *integram sanitatem*

re-

restituantur: sufficere nobis monuisse, quod hoc utique ita fiat, & quidem insuper ita frequenter, imo solenniter, fiat, ut si iustam ineamus computationem, velut innumeris exemplis constare posse confidamus, quod immensum quantum major sit numerus illorum, qui hac ratione, *sine Medico & medicamentis, vivi, imo sani, evadunt*: quam qui ex adverso, vel *Medicorum opera* utentes, sanantur; vel sine aliqua arte concurrente, imprimis autem sine aliis manifestioribus fortuitis causis concurrentibus, *intereunt*.

Possumus huic asserto melius stabiliendo, addere, explanationem illam, quam D. D. P. R. E. S. E. S. jam olim in *Problem. de Pathologia Februm* insinuavit; quod nimirum sermo hic esse debeat de eiusmodi artificii Medicis, quibus patientes manifesta operatione, certius, citius, mitius, à Febris restituantur, quam reliqui illi, magno illo, de quo merito loquuti sumus, numero, salutarem illum optatum exitum spontere sortiantur.

Enimvero si à Medicorum atque medicamentorum consilio, patientes nihilo melius habeant, quam illi, qui eiusmodi rebus non utuntur; è contra sæpe quoque non obscure ægrius inde habeant: sæpissimè vero omnium in tales anomalias unius eiusdemque Febris; retardationes atque diuturnam durationem eiusdem: longissimas debilitationes: imò mature succedentes chronicos pertinaces affectus, spasticos, hæmorrhagicos, œdematosos & hydropicos, prolabantur: tales certè iniuria citarentur ad augendum numerum adversus illos, qui, uti dictum, ingenti numero sine aliena arte, non tam à Febre quam ipsa Febre convalescunt.

Jam verò si iuxta hanc normam animum advertamus ad quasunque febres, (exceptis solis, quæ venenoso & animalium rabidorum morsui, aut vulneribus gravioribus, accedunt symptomaticè) confirmat certe experientia, quod ab omnibus & singulis hujusmodi febribus, multos patientes spontere restitui atque convalescere contingat; sine Medicorum consilio aut opera, & sine Medicamentorum etiam interventu:

ad minimum *talium*, quibus directa aliqua efficacia jure meritoque tribui possit, nisi in quantum evident. us *excretiones*, aliquas conspicuas, vel fuscitant, vel promovent.

Ex tripode namque dictum habendum est illud Hippocratis effectum: *Multos quidem sine Medicis curari, sine medicatione vero neminem*: edocens videlicet hoc ipso, illud quod alibi peritissimè inculcat: *naturas esse morborum medicatrices*. Ut nimirum sit sensus, institui, in eo absolvi ejusmodi morborum, (loquimur hic cum vulgo de Febribus, intelligimus autem maxime *causam materatalem*, propter quam fit *Febris*) depulsionem, certa quadam atque proportionato *methodia*; quæ si arte & consilio suscipiatur & instruat, atque certis corporibus adhibetur, *medicina*, & *artifex* Medicus appellari consuevit. Interim rectissimè Divus Senex, in dè vero utilissimè hoc ita notat, quod *Methodus* talis, morbos à corpore humano depellendi, etiam *sponte Naturæ* observari solet; dum multi quidem observentur sine externa, nempe *artificiali* inventione aut applicatione, ita liberari: non tamen *sine illa*; quin potius, ubi illa opus sit, etiam citra *externam* operam, sponte quasi illa suscipiatur.

Huius rei cum velut exemplaria quædam sint ipsæ *Febres* & uti dictum, in illis quam maxime familiariter hoc evenire solet, ut hinc inde sine *externo consilio* aut suppeditatis remediis, ægri illas evadant; certè tantò magis sanæ rationi convenit, animum hic advertere, & dispicere, *sub quibusnam circumstantiis*, hæc evasio contingere observetur.

Non opus est autem multa circa hanc quæstionem dubitatione, quando quidem iam ipsi plebi notissimum est, quod *Febres in genere*, valde iuventur atque sublevantur *evacuationibus*. Inde enim est, quod ipsum etiam vulgus, quam plurimum in Febribus tribuat *sudationi*; adeo quidem, ut etiam, liceat illa quidem non rectè fundata, vulgata tamen hujus generis inter plebem vigeat opinio, quod si satis *tempestivo* & satis *largo sudore*, Febres etiam velut in univèrsum curari

curari possint. Apud Medicos autem ab omni iam ævo illa utique valuit observatio, quod nullius Febris veram atque solidam, imprimis autem periculossimarum quarumlibet, sperare liceat *salutarem* absolutionem, nisi cum *urina* conspicuæ quædam *heterogeneitates* excernantur: quas quidem ipsi Medici, non tam pro immediato excretionis salutaris *subjecto* agnoverunt, quam pro *initio* quodam, imò *signo præparatio- nis* ad uteriores, evidentiores atque copiosiores Excretion- nes: quales nimirum *vagos* utiles atque salutes interpre- tati sunt ex eo, quod has demum propius subsequantur, *symptomatum* quidem hæcenus conspicuorum *cessatio*, *actu- um* vero *vitalium* ordinaria æqualitas & *tranquillitas*, cum *virium* corporis, præsentissime vero *alacritatis animi* præ- sentiore restauratione.

Sicut autem *urina*, sive cum *urina* insolitæ *heterogeneæ* materiæ, excretio; & *sudoris*, sive per auctiorem *transpira- tionem cum sudore*, siens evacuatio, omnibus Febris, aut ad minimum alterutra, usum præstant; ita aliquibus Febris seorsim, etiam *alias* quasdam *evacuaciones*, *salutariter* evenire, ut nempe illis fientibus Febris sublevetur, non fientibus, pejus & periculosius exeat, non minus certum imo norum est, ab ipsa *Experientia*.

Ita enim *Tertianas* notabiliter sublevari, *tempestivo*, et- iam *spontaneo*, vomitu, quotidianæ est observationis. Ab *ira- cundia* repentina & immoderata, qui febricitant, sicuti quidem hoc vix evenit, nisi *iracundia* illa cum *pastu* aut *potu* mox concurrerit; ita semper pejus habere, si non vomunt, melius autem, si vomunt, imò *sursum deorsum*, modo tempestive & affatim, excernunt, eadem quotidiana testatur experientia.

Febres *acutas malignas contagiosas*, non solum *in genere* plerasque, sed *in specie vehementissimas* omnium, excretionibus *exanthematicis* & *vaporosis* salutariter ventilari, testes sunt *Pestis*, *Petechiæ*, *Variolæ*, *Morbilli*, *Sudor Anglicus*, &c.

Imo vicissim ab immodesta *cohibitione* aut *retropulsione*

excretionum, imprimis *transpiratoriarum*, Febres etiam vehementiores, & variorum *malorum morum* coiriri; & , nisi excretionem illam, haecenus suppressam, quoquo modo iterum, sive restituatur, sive suppleatur, admodum periculose inde habere patientes, eadem quotidiana experientia notum factis est.

Ut itaque rem clarius, & positive quidem, eloquamur, asserimus, quod *spontanea illa salutaris* superatio, & vitae conservatio, in iis, qui Febre laborare sentiuntur, evidenter atque eminenter contingat per *excretionem in genere*, varias autem, excretionum *species secundum varietatem* Febrium, in specie.

Sicut autem hujus rei, quod, inquam, Febres salutariter exeant per evacuationes, *experientia* imprimis testimonium exhibet, ad quod proinde merito provocavimus; ita *rationis* etiam consensum putamus facile obtineri posse, si perpendatur, quod *tota VITA secretionibus & excretionibus absolvatur*; & insuper hae *secretionibus & excretionibus*, quibus Febres *salutariter* absolvi observantur, conferantur cum illis simpliciter & absolute *vitalibus*; ut hinc agnosci possit, quomodo utique etiam hae *febriles* excretionem salutare, neque *locis*, neque *modis*, nec *organis*, inquam, neque *directione* illorum ad proportionem *materiae*, quidquam differant, ab illis ita dictis *positive vitalibus* actibus, nisi solo *gradu*, sed contra *extra ordinariam*, imo urgentem necessitatem, necessario, nempe *rationali proportione* ad finem convenienter obtinendum, extra ordinem etiam intenso & *aucto*.

Quid per *vitales* actus intelligamus, possem quidem supponere ex illis, quae Dn. D. Praefes de hac materia tum alibi passim, tum propria tractatione, *Dissertatione de Vita*, deduxit; nempe quid *formaliter* sit Vita, quodnam sit *Vitae subiectum*, quod Vitam experiri dicatur; quodnam in hoc subiecto sit *Vitae obiectum*, seu secundum quid illud vivere dicatur: quae-



quænam sint Vitæ huic subjecto ita conciliandæ seu præstan-
dæ, *instrumenta* atque *media*.

Placet interim, quoniam utique ad præsens nostrum ne-
gotium quam maxime pertinet, paucis illud repetere, dicen-
do, quod Vita quidem *formaliter*, ut loquuntur, nihil aliud sit,
nisi *conversatio corporis & singularum ejus partium*, adversus
corruptionem illam mixtionis suæ, cui tota *materiali* sua con-
stitutione absolute exposita sunt. Quod *subjectum* Vitæ sint
omnes & singulæ *partes* corporis; *objectum* autem ejus quæsi
materiale, hæc ipsarum *corruptibilitas formale* vero hujus ob-
jecti, *corruptibilitatis* huius *expugnatio*, adeoque corporis ad-
versus illam *præservatio*: *instrumentum* huic scopo intervi-
ens, *remotius & generalius*, *motus humorum progressivus*; *spe-*
cialissimum vero, ultimæ illæ huius motus productiones, *se-*
cretiones & excretiones rerum *corruptentium & corrupta-*
rum; quarum nempe perpetua subtractione reliqua *incor-*
rupta & integra manent.

Quemadmodum itaq; hac ratione ordinarii, & absolutissi-
mæ necessitatis actus vitales, sive *instrumenta Vitæ* sunt *secre-*
tiones & excretiones; instrumenta, inquam, quibus, quicquid
corpori quoquo modo nocere potest, imo nocere incipit,
præoccupando aut *expugnando* tam à locis atq; partibus, quibus
imminet aut insidet, quam ex universo tandem corpore, emo-
vetur: ita puto simplicissimæ rationi consentaneum esse, si
corruptiones ejusmodi etiam *autiores & atrociores* alicubi
pullulent, his *secretorios & excretorios* actus, & magis *inten-*
dere, & magis *vigilanter* atq; provide *dirigere*, ut per *tempesti-*
vam, imo tempore æque ac loco & modo *proportionatam* eje-
ctionem, omnis *corruptio*, i. e. *Vitæ*, tanquam conservationis
& durationis contra omnem corruptionem, *contrarium*, eji-
ciatur, adeoque præsens periculum solutariter depellatur.

Quemadmodum autem *expulsiones* tales è corpore, ex
humoribus, & per *humores*, utique non fieri aut absolvi possunt
alia, quam *mechanico organico* methodo; ut videlicet, multi-
pli-



plici appulſu humorum ad varia, imo potius è variis imprimis ad *convenientia, colatoria & emunctoria*, longo utique generali humorum circuitu pedetentim tranſcolatio illa, magis magisque continuando atque repetendo, abſolvatur; ita ſana utique ratio dictat, quod nihil harum rerum, ſecretionum, inquam, aut excretionum, plane *præcipiti* & breviffimo, nedum *ſimul & ſemel* factò exitu & excuſſione, abſolvi poſſit.

Unde, ſicuti *ſecretio & excretio*, ipſa ſana ratione dictante, conſuliffimum utique eſt, corpus à noxiis rebus repurgandi remedium; Ita eadem ratio facile perſuaſerit, has etiam iſtius remedii neceſſarias plane circumſtantias agnoſcere, & pro talibus, *ſine quibus* ſalutaris ille effectus obtineri non poſſit, ſuſcipere ac interpretari. Interim vero nec illa negligenda eſt, ſed potius quam maxime attendenda, vera utique proſus atque magis ſubinde anxia atque ſollicita *directio* humorum, ad *unum præcipuum emunctorium* præ aliis, ad breviorẽ reddendam quæſitæ excretionis periodum, plurimum utique conferat, ſi modo ſuſcipiatur, imo ſuſcipi & recte inſtrui poſſit.

Cum enim alias, ſi circulatio horum *æqualitate* illa ſecundum naturam ſolita peragatur, ut ſolum *velociore circuitu*, ad omnia & ſingula colatoria & emunctoria *æqualiter*, *autidior* etiam fiat appulſus; naſcuntur inde ſine dubio *due difficultates*, quarum altera plane præcipui, eſt momenti atque ponderis. *Primo* enim hac ratione, non niſi abſolute *mechanica* appulſione, promiſcue ad *quælibet* colatoria, imprimis autem *emunctoria*, per quorum pleraque *præſens* excernendæ materiæ *ſpecies* non commode aut debite expelli poſſit, *perditur* utiq; multum temporis: quod *lucrari* liceret, ſi majorem copiam atque motum materiæ, magis ad illa loca & *organa dirigere* integrum eſſet, per quæ proxime imo *proprie* excretio illius *ſpeciei* materiæ, abſolvi poſſit atque debeat. *Secundo*, quo



quò magis præsentanæ ad graviter *corrumpendum* aptæ effi-
 caciæ, materia aliqua talis morbida existit, adeoque & *brevio-*
re tempore, & majore *quantitate*, & uti subtilior communiter
 est, *subtilioris excretionis* methodo, evacuari postulat; si ante
 dicta *universali* otiosa distributione atque circulatione, non
 solum ita diu oberret in corpore, sed etiam ad teneriora quæ-
 libet colatoria libere & promiscue penetrare valeat, ratio sã-
 ne dicat, quod illa non solum sub hac otiosa tolerantia, sed
 etiam tanto magis sub partium & viscerum, ad subtiles tales
 corruptiones teneritudine sua magis dispositorum, præsen-
 tiorum *corruptionem*, hac ratione non solum facile, sed quasi
 necessario, pertingere possit.

Ut taceamus, licet minime negligendam, illam *interio-*
rum teneriorum *viscerum* destinationem, quæ non tam æque
 ad *excretionem*, (nisi *segniore* materiæ & ad *corrumpendum*
 minus aptæ, ut *intestina*), quam ad nudas aliquas *sequestratio-*
nes præcipuè, disposita, necessariæ quidem illi excretioni, hoc
 tempore nihil adjumenti afferre possunt: interim facile pluri-
 mum detrimenti inde incurrere ac subire queunt.

At vero, quod hæc non solum ita fieri, materias, inquam,
 excernendas, *peculiari directione*, ad peculiaria congrua
loca dirigi, ex usu esse possit; sed quod etiam revera ita in
 usa sit, sicut illud *ratio*, ita hoc *experientia*, monstrat &
 confirmat. Quomodo vero hoc non solum fieri possit, sed
 actu etiam fiat, offert atque sistit ipsis sensibus, prudenter ta-
 men advertendis, quotidiana experientia; manifestis nimi-
 rum variorum generum æque ac locorum *pressionibus toni-*
co-spasticis, quibus materia ab uno loco ad alterum *restringi-*
tur, ut ibidem, & *copiosius & altius*, transpelli, adeoque *secre-*
tioni & tali *excretioni*, ad quam præstandam ille *locus* aptus
 est, tanto citius atque certius subjiciatur.

Sane vero, si *spontaneam* etiam illam Februm salutarem
 terminationem, per omnes species solertius attendere pla-
 cet, imo perpendere, parvo negotio ibi observari poterunt,
 C
 variæ

varia illæ evidentes, non solum *excretiones*, earumque *successivi*, sed tamen pro necessitate urgente, *tempestivi* progressus; sed occurrent certe jugiter etiam evidentiæ argumenta, imo vero *documenta*, specialiorum talium *directionum* copiarum humorum ad *certa emunctoria* præ aliis: & quidem ad *italia*, quæ *ialis* materię præ aliis, excretioni, efficaciter quadrent ac infervant.

Non placet, præter institutum nostrum prolixitati ulli indulgere, v. g. per enumerationem exemplorum talium per *singulas febrium species*. Suffecerit solum allegasse *Febrem tertianam*, & *Variolas* atque *Morbillos*. Quo intuitu vero *Febbris tertiana* hic allegari mereatur, potest colligi atque intelligi ex illis, quæ Excell. D. D. PRÆSES circa *paroxysmum* illarum, ejusque rationes, commentatus est *Dissertatione de Aëtu Maris Microcosmici*. Ad *Variolas* autem & *Morbillos*, imprimis tamen priores, quod attinet, nemini ignotum est, quid in illis agatur, vix non ordinaria, & pertinaci quidem, imò subinde ultra modum diuturna, *alvi cohibitione*; *interne*, inquam, illius *secretionis* & *excretionis* omissione; dum interim humores copiosius ad *ambitum* corporis *extrorsum* exprimuntur, ut ibi materia, in extrema usque superficie, è reliquo sanguine atque humoribus secreta, tandem ad plenam *excretionem* ibidem pertingat. Sunt etiam aliqua nec ita absolute generaliter de hoc negotio tacta, imo vero acta, in *Dissertationibus de Historia Febris in genere, de Pathologia Februm in genere*, sicut etiam *de Febris rationali Ratione*: plus autem sine dubio in *Problematicis ad Februm Historiam atque Pathologiam* pertinentibus. Unde quidem nos hac vice circa hanc nostræ tractationis partem hic subsistere posse confidimus.

SECT.

SECTIO III.

DE

Therapia Februm per Artem, per
 rectam Rationem ad salutarem
 effectum instituendam.

Non placet iterum notare, quam male Physicis, & sub
 his, suis rebus, consulant, qui utilem illam ac realem, sed
 utique generalem distinctionem *Materie & Motus*, equi-
 dem semper in ore habent; interim non, nisi in crassioribus
materie intrinsecis modis & conditionibus hærentes, ener-
 giæ *motuum* in materiam, prorsus incurii, dicam, an agnoscen-
 di impotes, nobilissimam & *unice activam* rerum physicarum
 partem, quæque ad materiam innumeris modis subigendam
 atque convertendam, unice sit efficax, ignorant: & potius ser-
 vam *materiam* adversus *motuum* dominium, seditiosis illis *re-*
niendi, resistendi, reagendi consiliis instruunt, ut dignitati
 atque potestati *motuum*, cum re non possit, saltim verbis de-
 trahatur.

Quantum damni non solum Physicæ, sed imprimis *Me-*
dice scientiæ intulerit ignorantia *Vite*; adeoque distinctionis
viventium ab inanimatis, neglectus: imprimis autem imperi-
 tia, *quomodo* Vita absolvatur, actibus pure *formalibus*, absque
 materiæ qua talis usu; non, inquam, physicè, sed *mechanicè*;
 non per *materias*, sed per *motus*; non potest, inquam, hoc in-
 telligi, nisi quis notitiam totius rei rectè assecutus sit.

Sane vero non omnium est hæc perceptio. Unde
 quidem non eliciunt, sed per inscitiam suam pariunt, & suas
 absolutè proferunt *paralogas* collectiones: si *motus formaliter*
 agit aut errat, *motum formaliter* corrigi necesse erit: si *anima*
 agit *motus*, quando hoc erroneè facit, *anima immediatè cu-*
randa

randa erit, &c. Grandis nempe, sed non gravis Philosophia. Certè pueros rudimentorum Logicæ exercitiis recens imbutos interpretes admissura; qui cito ingeminabunt, *ad mediata, & immediatè; ad priori, & à posteriori; ad positivè & privativè*, crucem figere. Imo, nunquam de fuerit, qui longe solidius *κατ' ἀπόδειξιν* ad absurdum argumentetur, aut *ad mediata & immediatè* aliter applicet: aut imperfectionem *disjunctivarum* aliter suppleat, v.g. hic *non est* Philosophus, ergo non potest ita nominari; hic non *intelligit* rem, ergo non licet de illa loqui: hic *non potest* recte sublumere, ergo non debet perperam colligere, &c. Vei etiam: hic homo contra *sanam rationem* seu *Logicam realem* loquitur, ergo *os ipsi obscurandum* est, ne insana loqui possit: minimè gentium: datur enim tertium, ut moneatur sana loqui, aut negligatur: aut temporè certè rei inquatur, ut forte tandem compos fiat mutandæ sententiæ, meliora edoctus.

Illi, qui non tam laboriosè erudiri necesse habent, tribus verbis intelligere possunt, quod motui aut moventi, *immediatè seu à priori*, non opus sit mutationem inferre, quandoque *materiæ*, quæ moveri debet, & *organorum*, in quibus & per quæ ille fit motus, insignis alteratio in potestate nostra est; quibus nempe rebus, *subjecto* nempe & *instrumento* motus, *à posteriori*, alia *dispositione*, imo subinde alio quodam communicato *motu*, affectis, ipse ille pristinus *directus motus* non ita, uti quidem liberè sibi relictus faceret, procedere atque succedere possit. Unde quidem abundè prorsus est satisfactum universo negotio *motus humorum, secretionis & excretionis* & consequenter vitæ ipsi, si utiq; *à posteriori*, materialibus *humoribus*, materialibus *instrumentis* *motuum*, medicatio adhibetur, ut non opus sit Naturæ seu *Animæ moventi, à priori* aliam methodum imperare. Quod sane difficilius esse, imo subinde irritum, exemplo sunt *Animæ*, circa res purè *morales & rationales* perversis motibus asuetæ; quibus magis *immediatè* meliores motus *à priori* suadere, irritum est

coepum; cum etiam a posteriori, per exempla & quaslibet methodias, immenso tempore ad alios motus incitatz, semper reiabi soleant.

Ut itaque à materia febrili, propter quam fortiores illi, & sane operosiores motus, vigilanter, sollicite, imo anxie, suscipi solent, Artis concursu recte liberetur corpus, duo observanda sunt in genere. Primo, ut Medicus, sed profecto non quilibet, diligenter, sed realiter atque peritè pensitet atque dispiciat, an in sua, artis, inquam, suæ potestate sit, materias has vere corrigere, i. e. ita invertere, ut œconomiz corporis nullam, neque insignem molestiam, neque certius & præsentius periculum amplius minentur; sin minus, an ad minimum magis pure artificialibus provocationibus atque directionibus, excretionum, à Febri sibi relicta genio diversis, agere hic possit; adeoque Arte pura, & suo arbitrio, febrilibus reliquis motibus omnem causam subtrahere.

Secundo, ut consideret atque pensitet, sed profecto distincte æque ac peritè, quomodo illi motus, qui in Febre quaslibet sunt, ad secretiones & excretiones, materiz febrilis ejus speciei, tum à priori, ipsius mutuz proportionis intuitu, quadrent; tum à posteriori, ubi recte & libere hunc secretionis & excretionis scopum assequuntur, corpus utique salutariter liberent: ubi vero hunc non obtinent, periculum, imò damnum vitæ, subsequatur.

Artis itaque suæ negotium reputet, quomodo motibus his ad debitum suum salutarem exitum perducendis, i. e. ad secretiones & excretiones, cuiuslibet speciei convenientes, debito ordine, loco, modo, tempore, expediendo, sublevando, promovendo, imò ubi opus sit, provocando, alibi temperando, speram navare possit atque debeat. Et hæc quidem non solum ita reputet, seu consideret; quamvis utique hac theoria instructus esse debeat, antequam negotium ipsi objiciatur: sed meminere sane quoque & experientia fretus, promptitudine quoque debita, perite compos sit harum rerum, ut illas oblata occasione, imò necessitate, etiam recte exsequi valeat.

C 3

Quod



Quod autem primum attinet, non temere posui limites illos, quibus excludi debeant considerationibus his impares. Profecto enim quantum interfit, materiam aliquam noxiam pure & absolute *alterare*, ita inquam, *corrigerere*, ut post hac *solerari*, imo forte usui alicui vitali in servire possit; & ex adverso solum ad *expulsionem* commodiorem *disponere* & aptiorem reddere: aut plane directe, *excretionem* ipsam incitare, ut talis materia ejiciatur: quantum, inquam, diversitatis inter hasce res intercedat; imo vero quam diversa sit difficultas unius harum rerum præ reliquis, poscit tanto magis & prudentem & peritum arbitrum, quo minus in hunc usque diem universum hoc negotium libatum est.

Non placet ambiguis loquendi formulis & movendis dubiis tempus prodigere: sed præstat rotunde proloqui, quod nimio plus certum esse sentio, quod in *Februm negotio*, excepta sola *Tertiana*, & *moribus animalium venenatorum* atque *rabidorum*, (quibus symptomatice, & irrito quidem, sed tamen unico residuo velut ultimo conatu, Febris accidit,) *ad nullam aliam* Febrem locum habeat *alteratio* simplex & directa.

Cum vero omnes reliquæ alterationes, non nisi *ad evacuationem* certam respicere debeant; quanta confusio ex harum rerum in genere & specie ignorantia, necessario expectanda sit, non dicat solum ratio, sed confirmat nimium quam luculenter quotidiana experientia.

Quis enim tam simplex sit, qui non intelligat, quod opus sit non solum scire, *quod* illæ alterationes ad evacuationes respicere debeant; sed tanto pressius, *quenam* alterationes? ad *quales* evacuationes? *quo ordine*? *quo progressu* & *gradu*? *quo tempore*? *qua mensura*? *qua continuatione* aut *subordinatione*? imo vero qua tandem in genere *necessitate*; ne supervacuum, imo *nimum* fiat. In his enim rebus, si iusta atque necessaria notitia desit, non facile tantum, sed ita necessario aberrari, ut bonum potius eventum absolute casui seu fortunæ imputare necesse sit, per ipsam sanam rationem evidentissimum existit.

Secun-

Secundum itaque hoc, à nobis supra indigitatum, est utique illud, quod pari prudentia atque peritia animadvertere & experiri necesse habet Medicus. Animi vero utique applicatione opus hic esse, puto quidem conceptu esse facile, postquam utique *fragmenta* quidem *historica* hujus rei hinc inde occurrunt, locupleti numero & non contemnendo usu; interim *comparatione*, *coordinatione*, & quocunque tandem sensu sumta, *collectione*, hic omnino est opus. *Experientiae* etiam ipsius hodiernae & quotidianae observatione & scrutinio, opus omnino est; non solum, ut animo satisfiat, an etiam vera sint, quae ita recensita reperiuntur, fortasse dubitanti: Sed nec injuria, imo potius necessitate quadam dubitanti, dum partim *historias* ipsas apud alios, non easdem, imo diversas prorsus ostendit: Sed vix in ullo loco aut quocunque tandem tempore animum aut methodum ad illas circumstantias debite atque directe intentum fuisse reperit, non aliter, quam si nemo his phaenomenis fidem habere, aut certe fidere ac insistere, ausus esset, aut cordi habuisset.

Interim, cum utique haec una sit vera Methodica aequae atque ipso saluari effectu conspicua, ratio, *Febres*, per *secretionum* & *excretionum convenientium*, peritam promotionem, curandi, i. e. ad salutarem exitum deducendi: placet propositum nostrum ita exsequi, ut tam *excretionum* quam *Febrium* generibus respondeat.

Excretiones ipsas, quod attinet, tum quatenus genere toto *ordinarie* sunt; gradu vero solum, & ordine forte, variantur: tum ipsa quidem *specie* etiam *extraordinarie*, praesentis tamen materiae *in doli*, *proportionate* sentiuntur: inserviunt utique *febrilibus* excretionibus *salutaribus*, etiam omnes & singulae *excretiones* quaecunque *secundum naturam* ab heterogeneitatibus corpus immediate exonerant, *diaphoresis*, *diuresis*, *alvi secessus*, imo aliquatenus etiam *halitus* & *sputum*: Passim tamen etiam *extraordinarie* exonerationes, materiae tamen *proportioni*, & quidem in ordine ad *excussionem* ejus utiq; respondentes, & in *comparatione* ad imminens *peri-*

periculum, immensum quantum magis commodæ ac tolerabiles, quam si materia, quæ his expellitur, negligenter tolerata fuisset. Huiusmodi sunt Hemorrhagia, Vomitus, Exanthemata acuta.

Hæc sunt illa *genera* excretionum, quorum ope febres *salutariter* exeunt. Non quod omnes & singulæ hæc excretiones, in *singulis* Februm speciebus, *simul*, aut quælibet ex illis *promiscue*, conducant, nedum satisfaciat: sed quod *certis* Februm speciebus, *certa* evacuationes conveniant.

Convenient, inquam; etiam secundum rationem à *priori*; non solum *conducant*, per experientiam, à *posteriori*. Ita enim ne ad specialia, præter instituti nostri atque temporis rationem, diffundamur, nonne rationi consentaneum est, *tenuis* materias crasso modo atque motu *excernendi*, frustra tentatum iri? quam commodè verò inde colligere est, non solum quod horum aliquid fieri non conveniat; sed etiam, sicubi per incidentem aliquam aliam *irritationem*, aut *artificialem* perversam provocationem, *aliena* talis commotio excretoria tentetur, etiam *damnum* aliquod, ad minimum autem *fatigatio*, & *virium* irrita consumptio, inde resultare queat. An autem etiam in *Febris*, *materia* talis detur, quæ summa *subtilitate*, *crassioribus excretionibus* inidonea sit, exemplo esse possunt Febres contagiosæ; quarum non solum causa, *invisibilis halitus* forma, in corpus insinuatur: sed etiam nulla certiore methodo, citius, securius, & universalius, ex illo iterum excutitur quam *leni halitusosa* excretionem. Unde Febres *contagiosæ*, imo *pe silentiissimæ*, quo verius *salutariter* exeunt, eò leniores sunt magis, quam ulla alia Februm species: in quibus autem individuis per accidens (cujus rei exemplar imprimis sunt exacerbationes ab *animi pathematibus*) cum *impetuosioribus* commotionibus & excretionum tentaminibus agitantur, in illis observantur etiam non solum *laboriosus*, sed communis-simè funeste, terminari.

Ita videlicet, si ipsam etiam Februm indolem, quomodo

do ad excretionum species sese habet, saltem per genera perlustramus, observamus utique, quod *contagiosa* omnes nullam solenniorem, nec utiliorem excretionem iubeant, quam *diapnoico-diaphoreticam*. Dictante etiam ratione *a priori*, quod *halituosum* miasma, crassiore excretionis methodo non possit utique expelli; docente vero hoc etiam efficacia *materialis* harum Februm, semper & undique *inflammatorio-purificativa*: quæ, si circa intimiora, & sensu atque textura *teneriora, secretionis & excretionis organa*, admittenda atque tractanda esset, brevior tempore, quam ad transitum sufficeret, partes, per quas transire deberet, corrumpere: uti quidem è *retroessione* talium exanthematum, aut *cessatione* justæ excretionis, vel millenariis exemplorum notissimum est.

Quemadmodum autem hæc *diapnoico-diaphoretica* excretio, *contagiosis* Febris maxime directè, & velut unice salutaris est; testibus *Sudore Anglico*, Febris *Pestilentibus* frictius sic dictis quibuslibet (conf. *Sydenh.*), *Variolis*, *Morbillis*, *Petechiis* extra *pestem, anginoideis & bubonoideis* malignis *contagiosis* epidemicis, (de quibus narrat *Wierus*, Tractatu de Morbis quibusdam ignotis, cap. IV, ad VIII. in annis 1564, 1590.) imo ipsis variis Febris *castransibus*: ita prodest eadem etiam, inter reliquas excretionum species, longe plurimum in omnibus aliis acutis; quin nec ipsæ *intermittentes* Tertianæ & Quotidianæ, sine hujus excretionis usu, *vere & solide*, tanto minus autem *tempeslive* ac *mature*, curari possunt.

Unde quidem rectè dici potest, quod non solum omnes Febres hanc *transpiratoriam* excretionem *salutariter* appetant; sed *eminenter* quidem hanc ipsam inter alias, imo multoties *præ aliis*.

Excretio salutaris febrilis, quæ per *urinam* contingit, vix non dubiam reddit palmam modo dictæ *diapnoico-diaphoreticæ*. Certe enim adeo *universaliter* in omnibus Febris opus est hac excretionem, ut illa pro *primo* reliqui *salutaris* successus & eventus *signo*, merito habeatur.

D

Excer-

Excerni autem aliquid per ipsam, monstrat non solum *secessio* crassioris materiae, quando illa perfecte refrigit; sed etiam evidens *mutatio coloris*, qui sub ipsa emissione, detenta adhuc hac materia, (vel etiam per institutam concalescentionem, hac iterum imbibita) *saturatio*, & tota consistentia *spissior*, apparet; deposita vero hac substantia, colore & consistentia *naturali* simpliciori crasi proxime accedit: unde quidem hoc excrementum ab illo morbido fomite ipsi evenisse, nullum dubium esse potest.

Quamvis enim putari possit, quod ab ipsa vegetiore *commotione sanguinis*, quae per pulsus augmentum *de essentia* Febrium est, facta copiosiore sanguinis in serum resolutione, urina ita consistentia *salino-sulphurea*, & colore, augeatur; quod quidem etiam minime absolute de nihilo est: tamen minime directe & unice, & maxime quidem *illud*, quod ut *excrementum* aliquod deinde ita *secedere* contingit, ab hac re originem ducere, dilucescit *duplici* experimento.

Primo enim, qui etiam gravissime *astuant*, & plus, quam in salutari eventu alias fieri amat, offerunt urinas equidem & ipsas colore a naturali statu diversas, nempe valde *rutilas*; sed sine tali *separatione* specialis alicujus recrementi durantes: *secundo* vero, innumeri, imo omnes, quibus quam maxime *salutariter* Febres succedunt, & quidem eo magis, ut modo dictum, sine illa *nimia* intestina aequae atque locali sanguinis *commotione*, exhibent hujus *secessionis* ex urina proventum atque copiam velut abundantem: interim *priores* quidem solenniter hinc *intereunt*: *posteriores* non *evadunt* solum, sed sensibili etiam *indies* salubrioris *euphorie* non magis constantia, quam *incremento*.

Illud autem statim hoc loco non dissimulandum est, quod ex omnibus reliquis *excretionibus* hanc praesentem, nempe ita, uti vere ad *febrilis successus* seriem, atque *temporis* opportunam *mensuram*, referenda est, vera atque solida aliqua *methodo per artem* prosequi & exsequi, praeter omnibus reliquis

CK-



excretionum generibus, revera adhuc sit difficillimum. Ut enim taceamus, quod Medicorum schola, in universum, animum huc nunquam adhuc debite adverterit, ut *excretiones* quascunque febriles, potius *ut positive atque directe saluantes*, quam *ex accidenti* utiliter evenientes, agnosceret: certe etiam illorum, qui è quacunque tandem consideratione aut intentione, *diureticos* aliquam utilitatem agnoverunt, (quod tamen de *acutis* diserte haecenus asseveratum esse, non memini,) frustra hic fuerit intentio, *simpliciter* excretionem *urinae* auctiorem provocandi: non enim *urinae* liber aut copiosus exitus, sed *materiae* febrilis dispositio talis ac veluti *preparatio*, ut *cum urina* excerni possit, est illud, de quo hic sermo esse debet, & in quo unice cardo rei versatur. Quo quidem sensu rectissimè Veteres dixerunt, quod haec excretio *cum urina*, constituat *signum coctionis*; i. e. sit primus effectus factae talis *separationis & secretionis* materiae, ut illa posthac liberius etiam *excerni* possit.

Sicut enim non in genere *transpiratio* largior, aut *sudor*, in Febris prodest, sed *evacuatio subtilissima* febrilis materiae, *halituosa organica*, per *transpirationem*: ita nec excretio *urinae*, sed excretio alicujus partis *materiae* febrilis *cum urina*: Unde nisi materia illa prius ita ex humoribus *secreta* sit, ut ab hinc *excretionem* pateat, frustra instituantur *excretionem* illam solum *generales*, *specialem* illam materiam nondum secum educere *compotes*.

Non frustra certe hoc monemus, cum in eo *quod formale secretionis febrilis* lateat, & circa hanc rem exquisitissime valeat illud Hippocratis: *πῶς ἐν καὶ τῶ χρόνῳ, omnia* inquam, non in *actione* in genere, sed in *opportunitate*, tempestivo nempe *successu* atque ac *administratione*, sita hic sunt.

Hanc certe rem, *artificialem* promotionem *secretionis ad excretionem* optandum esset, ut melius perspectam haberemus, quam vulgo habemus; sed qui fieri poterat in illa *Theoria*, qua, quid utile censendum sit, quid noxium, tantis *difficultati-*



tatibus implicitum est, ut nemo sciat, quomodo se ab illis ex-
tricare possit.

Illa vero, de qua loquimur, ad *diuresin* utilem, *preparatio*, cum in plerisque Febribus *critica* tempora, *specialia* nempe penitus expectet & sequatur, ratio prope modum dicitur, quod *promiscua* arte illi non commode subveniri possit. Sicut etiam hæc imprimis secretionis & excretionis species, præ omnibus reliquis & *primo* loco incipit, & in *spontanea* etiam salutari Febrium terminatione primas fert, quolibet intuitu.

Excretio per *alvum*, nulli *speciei* Febris *directe*, & velut *essentialiter* familiaris est; *Tertianæ* tamen, in consistentis ætatis subjectis, & *petechizantibus*, magis quam aliis frequens.

Vomitus autem, *Tertianæ* quidem *legitima* fere proprius, alii vero nulli Febri, *directe* utilis, nedum necessarius: sed tantum *individualibus* accidentalibus circumstantiis, adhibendy.

Cholera dictus morbus, est potius *præoccupatio* inflammatorię Febris; imo potius *materię* atque *fomitis* ejus existit. Quando vero jam diuturniore mora *inflammatorum* talem effectum edidit, pessima illa materia, etiam ibi, *tempestivam*, ad-

huc usui esse hanc excussionem, non potest negari; interim *directe* febrilis non est, unde etiam *stata tempora* non expectat, aut certe rarissime: revera enim *rare* sunt *criticę diarrhœe*, & *critici vomitus*. Revera autem, uti modo dictum, quicquid horum utiliter fieri debet, *tempestive* fiat necesse est, in ipsis, inquam, *initiiis* potius, quam succedente quocunque tempore.

Hæmorrhagię sunt species evacuationis, quę quidem in *variis* Febribus hinc inde evenire observantur, sed illa plane evidens & maxime conspicua differentia, ut nulli quidem Febri (præter solam *Synocham simplicem*), velut *essentialis* sit: nulli vero etiam alii obtingat, quin simul manifestę quędam, imo evidentes *individuales* circumstantię præsto sint, quę conspicue testentur, quod magis *individui*, quam *Febris speciei*, ratio habenda veniat. Imo, si non tam solius indi-



individui, certe tamen simul *concurrentium* circumstantiarum, *anni temporis, tempestatis, imo remediorum & regiminis, concurrentium.*

Valet nimirum etiam de his posterioribus *excretionum* generibus, illud, quod in hac tractatione primo utique loco merito urgemus; nempe non quales *excretiones* fiant, sed quales *solemniter & salubriter* fiant: ita, inquam, evidens fit connexio tam *a priori*, quam *præcipue a posteriori*, inter has *excretiones & saluarem* successum, aut illis deficientibus, hujus quoque *defectum.*

Quæ enim *excretiones*, alicubi quidem occurrunt, sed non ita cum *salutari* eventu *reciproce* conspirant, illæ ad nostræ considerationis censum non pertinent: aut, si utique ibi, ubi fiunt, ita cum *salutari* eventu conspirare appareant, dispiciendum tamen eximie est, sed certe facile etiam deprehendendum, an utique utilitas illa magis ad *indolem Febris* ipsius, an vero magis ad *constitutionem individui*, respiciat.


Ubi quidem *Hæmorrhagiæ* respectus cum minore difficultate potest agnosci, si recte intelligatur, vera *ratio* motus *secretorii & excretorii* generalioris. Qui *generalior motus*, cum nihil aliud sit, nisi *sanguinis* circulatorius motus auctior; ad hunc vero recte absolvendum opus utique sit proportionata hujus tolerabili *mensura*: ita ubi hæc excedit, ac proinde *motus* ille impeditius succedit, ibi utique aliquam *exonerationem*, pro reliquo motus hujus *ulteriore* effectu absolvendo, non incommode institui, ratio dicitur. Interim hanc rem non nisi *generali* ad *excretionem* illas utilitati servire non vero ipsi *speciali*, ratio confirmat.

Exanthematum excretio spectat quidem bonam partem ad *transpirationis* excretionem; sed revera, si etiam de hac, *efflorescentia*, inquam, *cutanea*, accurate loqui placeat, *transpiratio* ad hanc pariter *generalius* longe sese habet: quandoquidem efflorescentia illa iuste atque legitime, non fit nisi *certis*, imo *determinatis* plane, *Criticis*, inquam, temporibus.

Ex his itaque rebus recte ad nostrum propositum afferimus, quod *generalissima* Februm in genere *Therapia* consistat in *Excretionibus*; *generalis*, in *certis* excretionibus: *specialis* in *secretionibus* certis ad *excretionem*: *specialissima*, in *specialissimo* tempore fecernendi & excernendi.

Interim ut nostro presenti capiti satisfaciamus, si rem vere aestimare velimus, ad *secretiones* illas longe minus contribuere potest *Ars*, quam ad *Excretionem*, *materiali* remediorum subministratio nimirum: longe plurimum autem prudenti *secretionum* observatione, & *tranquillioris* continentiae & *regiminis* administratione: adeoque tandem *generalioris* excretionis moderata promotione, ut mediante illa *specialior*, imo *specialissima*, suo *exquisito* tempore, tandem recte succedat. Certe in hac re sita est velut *anima* *Therapia* *Medicæ artificialis*, ut Medicus intelligat, quod illæ *Excretiones*, quas ipse incitare *arte* sua valet, nusquam sint *specialissime* illæ, quibus *febrilis* exoneratio *specialissime* absolvitur; sed magis ad huc *generaliores*: quas ita solum administrare ipsi incumbat, ut *per* illas, *specialissimæ* illæ, *placide*, sed quam maxime *tempestive*, secundum *tempora*, inquam, sua plane *peculiaris*, exitum fortiantur salutarem.

Ubi tanto magis meminerit, quod illud *salutare* huius exitus, propterea sane eo magis observandum sit, tanquam in *exquisitissimo* tempore situm; quoniam utique, si evacuationes illæ, quæ alioquin *specialissimo* tempore, *septimi* diei fieri debebant, precedente solum *sexto* die instituantur, ad eo careant *saluari* illo optato effectu, ut etiam *funestus* exitus familiariter subsequatur; neque quidem ipsa cœpta *excretio* toto suo progressu & successu, aliam, quam *immaturam* indolem præ sese ferat. Non opus est, ut moneamur, quod hæc dissentiant ab *Helmontii* & similium monitis, qui inelamant Medicos *non expectandas esse crises*, sed præoccupanda omnia, & in herba suffocato toto affectu, *Naturam* ab omni labore eximendam. Meminimus sane horum; sed *Experientia*



entia non aliter nobis hæc magnifica monita adhuc stitit, nisi ut *Tragica, cothurnis* nempe *umbras* efferentia, & verbis quidem etiam genio suo subservientia, jambis inquam, illis, qui, ut quidam non inepte ait, *brevibus longa dicunt*, nempe brevi prima desinunt in longam syllabam: & incidit hic merito illud *Luciani Menippo: παύσαι πανάγως τραγῳδῶν; Parce, ô beate, Tragiciis*. Sane recte *Seneca: non est beatus, qui scit illa, sed qui facit*: imo non beatus, qui scit, & non facit. Credo vero ita recte cum *Solone, neminem ante obitum beatum dicendum*. Pro: voco enim ad *experientiam*, sed *veram & millecuplam* quotidianam, quod quicquid horum in hunc diem dictum sit, experientia refragetur. Quicquid autem non dictum est, sed solum *relatum*, fidem non mereatur, nisi effectu ad minimum monstretur. Quale est illud *Kergeri lib. de Fermentat. Sect. III, cap. III. Ego, inquit, ab anno 1649. in hunc diem per integros 14. annos, ultra mille febricitantes, sine venæ sectione, sine purgatione, sine sudoriferis, sine diureticis, sine alterantibus, sine corroborantibus, sine topicis, & si quid præterea, unico serè medicamento curavi, non considerando, an Febris sit intermittens, an continua, an quotidiana, an tertiana, an quar-tana, nec expectata coctione, nec habito respectu sexus, ne pu-erperis quidem exceptis, ætatis, anni, temporis, vel aliarum circumstantiarum, & quidem paucorum dierum spatio, sine recidiva, aut alio aliquo notabili incommodo, nisi ubi eger ipse per incontinentiam de novo paroxysmos provocaverit, hinc rerum esse cognovi, quod Helmontius ait de Tempor. n. 73. p. m. 509. nusquam esse crisin, ubi Medicus artis suæ gnarus, mor-bum ante crisis expectationem sustulit. Si hæc vera sunt, do-lendum profecto, quod cum hoc viro interierint.*

Interim, si illud solum velint hujusmodi monitores, quod non unice ad *Crisin* expectandam ita dirigi debeat omnis intentio, ut non etiam ante *strictè* dictum *crisicum* tempus, in variis *Febribus acutis*, convenientes evacuationes, potius *suc-cessive*, placide, instrui debeant; non vero ad evacuationem seu



seu *Ecrrisn* stricte dictam *criticam*, omnia differenda sint: ibi habent utique nos quam maxime consentientes. *Quamvis* autem ipse *Kergerus*, tale quid indigitare videatur, dum curam suam *aliquot dierum spatio* diducit: abire tamen videtur in eo, quod *nulla signa coctionis*, & imprimis *nullam speciem Febris*, considerationem hic mereri afferat.

Enimvero, donec feliciora tempora nobis iterum similes inventores edant, profecto standum est his, quæ hæcenus deduximus; imò puto optandum esse, ut his rectè intellectis & præ oculis positis, memori, quin vigili prorsus mente insistamus, quotquot nostrum nondum contigit *porta dimitti eburna*, qua quidem *vana somnia* hominibus dimitti, *Poeta* monet, sed forte per errorem. Illud certe *tos febricitantium* *millia* testantur, quod hæc *Ars Kergeriana* in solidum intercederit, dum communiter etiam à *medicinis*, minimè *alia*, quam *solenni tempore atque modo*, *melius* habent: qui vero non *melius*, illi etiam *pejus*.

Putamus hæc sufficere posse pro tractationis nostræ promissæ complemento. Confirmat hanc nostram spem, quod pro certo habeamus, nullam *Februm*, secundum *species veram* atque solidam *salutarem* Therapiam, sive *spontaneam*, sive artificialem reperiri, quin *specialissimis* circumstantiis hanc nostram *generalem* præfigurationem exquisitissimè confirmet: quod, cum tempus & institutum ipsum nostrum jam demonstrare non ferat, subindicasse suffecerit, & cujuslibet solertiæ commen tasse.

Interim Deo T. O. M. humillimas exsolvo gratias, quod ad absolvendum hoc pensum, vires clementissime largiri non sit dedignatus, ejusque præsidium & auxilium, ad hæc etiam salutariter in usum deducenda, supplex imploro.

S. D. G.

ULB Halle

3


001 871 366



56







VI.
1737.
24

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

FEBRIUM THERAPIA

1704, 19e

IN GENERE,

QVAM

IN ALMA REGIA ET ELECTORALI FRIDERICIANA,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,
REGNI BORUSSICI ET ELECTORATUS
BRANDENBURGICI HEREDE &c. &c.
EX DECRETO GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ,
SUB PRÆSIDIO

DN. GEORGII ERNESTI STAHL,
MED. D. ET PROFESS. PUBL. ORDINAR.
h. t. FACULT. DECANI,

Dn. Patroni, Præceptoris ac Promotoris
sui, omni observantia cultu prosequendi,

PRO LICENTIA,

Summos in ARTE MEDICA Honores, & Privilegia
DOCTORALIA adipiscendi,

Ad diem Marti Anno MDCCIV. Horis ante & pomeridianis
IN AUDITORIO MAJORI
publice ventilandam proponit,

GEORGIUS HENRICUS HENKEL,
MARTISBURGENSIS.

HALÆ MAGD. Litteris CHRISTIANI HENCKELII, Acad. typ.